



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

I. Conventus Ticinensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

CAPITVLARIA HLVDOVVICI II. IMPERATORIS.

TITVLVS PRIMVS,

S I V E

CAPITVLA DATA ANNO CHRISTI DCCCL.
IN CONVENTV TICINENSI.

Capitula de rebus secularibus qua statuit piissimus Imperator Hludouvicius, qua glorioſi quoque genitoris ejus Hlotharii serenissimi Augusti auctoritate firmata sunt.

C A P. I.

PErventum est ad nos quod eos qui Romam orationis caufa pergunt, vel qui negotiandi caufa per regnum nostrum discurrunt, collecti latrones diripiunt, eosque aliquoties vulnerent vel occidant, & eorum bona diripiunt. Ideo volumus ut Comites nostri, eorum Sculdasij adjuncti, secum vassallis Episcoporum, si necessitatem fuerit, ubicunque tales fuerint, studioſimè perquirant, ut eos cipient atque diringant. Et si hujus criminis reos invenientur, penas in legibus positas erga eos abfque ulla negligentia exequantur, ut ab his malefactoris regnum nostrum purgetur, & qui in nostra fiducia huc veniunt, five orationis five negotiandi gratia, salvi esse possint. Sciat autem uniuersisque fideliū nostrorum quia quisque Comes & quilibet publicus minister hujusmodi malefactoris aut assensum praeberit, aut eos qui persequi neglexerit, nostra indigationis motum sentier, & proprio honore privabitur.

II.

Sed & hoc comperimus quia ex diversis locis hujusmodi noxii homines inter se

conspirent, & diversos comitatus circum-
euntes, prædas & rapinas per villas seu per
vias vel per silvas faciant, & innocentes
homines deprædant & spoliunt. Et hi
quoque similiter volumus ut diligent studi-
o perquisiti capiantur & diringantur.
Et si obnoxij hujus sceleris inventi fuerint,
legalibus poenis absque ulla dilatatione subi-
ciantur, ut hujusmodi inquietudo & in-
justa direptio a populo nostro auferatur,
& liecat omnibus sub nostra ditione de-
gentibus cum salvatione ac pace vivere,
ut ordo reipublicæ secundum justam ad-
ministrationem prorsus salvus & quietus
permaneat.

III.

Audivimus quoque quod quidam domos & possessiones habentes, concilient sibi atque conscient latrones aliunde ve-
nientes, eosque occulte foveant & solati-
entur ad tale facinus perpetrandum, ut
quicquid ipsi ex pernicioſo opere adquie-
rent, cum eis partiantur. quod genus ma-
lefactorum pessimum judicamus; quia non
solum ipsi mala peragunt, sed etiam alio-
rum opere & officio ad scelerata utuntur.
Vbicunque igitur in tali suspicione quili-
bet venerit, & rumor in populo dispersus

Y iiij



fuerit quod haec facinora exerceat, si adhuc prolatum est, cum duodecim se purget. Si autem in aliquo manifestatus aut deprehensus est, statim capiatur & disstringatur, & damnationem legibus praefixam sustineat. Vbicunque vero sive manentes sive vagantes latrones comprehenderet publici munerae administrator voluerit, & ille se defensare conatus fuerit, si inter haec forte eundem latronem occidi contigerit, nulla is qui eum occidit damnatione multetur, neque ulla inimicitias a parentibus aut ullam persecutionem ab ullo ejus amico vel propinquuo sustineat. Quod si aliquis ejus senior aut propinquus propter hoc vindictam facere conatus fuerit, & judex publicus eum compescere non potuerit, per fidejussores idoneos talis persona ad nostram deducatur praesentiam, ut complices & fautores sceleratum nostra animadversione plectantur. Vbicunque autem fama est tales habitare, inquisitio per sacramentum per omnem populum circa manentem fiat, & cuiuscunque gentis aut conditionis fuerit, per quos hoc inquire melius potuerit, iusjurandum dare, cum a Comite conventus fuerit, recusandi non habeat potestatem.

IV.

Sed & hoc pervenit ad notitiam no-

stram, quod quando potentes & honorati, sive ecclesiastici, sive seculares, ad nos veniunt, a populo, in quorum domibus mansiones accipiunt, suis usibus suorumque equorum necessaria per vim tollant, & hac occasione populus noster affligatur. Idecirco precipimus ut nullus fidelis noster, quicunque ad nostram praesentiam properat, nihil in veniendo aut revertendo ab aliquo violenter tollat, sed suis hominibus & equis, nisi forte ab amicis stipendiis acceperit, ab hospitibus suis pretio justo comparet. Nam quicunque hujus mali famam habuerit, cum ad nos venerit, veracem hominem volumus ut det qui pro suis omnibus juret nihil eos in itinere turisse. Et si forte in aliquo se suosque obnoxios recognoscit, donet idoneum hominem qui juret, aut cuncta restituat his a quibus abstulisse videntur.

V.

Hoc etiam multorum querelis ad nos delatum, quod potentes & honorariori viri locis quibus converuantur minorem populum depopulent & oppriment, eorum prata depascent, mansionem etiam contra voluntatem privatorum hominem sive pauperum domibus suis Cetera defant.

TITVLVS II.

SIVE

CAPITVLA EDITA ANNO DCCCLIV.

IN PALATIO TICINENSI.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis, incarnationis Domini nostri Iesu Christi anno DCCCLIV. anni imperij Domini Hludovici Imperatoris augulti VI. Indictione IV. dum conventum fidelium nostrorum palatio nostro Ticinæ civitatis convocaretur, & simul eorum & nostrorum nobilium consulti non solum ecclesiasticam utilitatem & populi salvationem, sed etiam totius regni statum perquirere studeremus, inter reliqua populus noster nobis quafdam petitiones obtulit, quas nos Dei amore & eorum fidelitate ducti libenter suscepimus, atque ideo subter annotata capitula ad eorum utilitatem subscribi fecimus, quas in futuro pro lege tenenda firmamus.